

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0736

0734

0740

0730

0745

0725

0785

0685

0835

0635

0235

Ende

Anfang

163

sunt, et sunt asini silvestres, et ita vacui reversi sunt ad nos. Itaque ulterius progressi sumus, et in ipsa solitudine ad locum venimus, quem quaequivimus, in quo gloriosus confessor Jeronymus quadringenio (quadriennio) egit poenitentiam, antequam ascenderet in Bethlehem, ut habetur in legenda sua. Est enim hodie ibi ecclesia satis pulchra cum monasterio annexo. Ingressi ergo sumus ecclesiam, et ante altare prostrati indulgentias plenariae (††) remissionis accepimus. Deinde ab oratione surgentes ecclesiam et monasterium perspeximus. Ecclesia ipsa est profanata per Arabes et Sarracenos, et altaria ejus sunt diruta, et aedificia lignea minantur de proximo ruinam. Monasterium vero est monachis vacuum, et pro majori parte est dissipatum, habitacula autem, quae remanserunt, sunt bestiarum stabula, in quibus meridie, fervente sole, umbra gaudent, et est quasi diversorum. Porro, quantum conjicere possum ex terrae sanctae descriptionibus et ex tabulis depictis formae terrae sanctae, locus est Bethagla, quo filii Israel planixerunt Jacob, parentem eorum, cuius funus de Aegypto tulerant, ut habetur Genes. ultimo. Hunc locum nominat Jeronymus de distantiis locorum Areaat, distatque una a Jordane leuca, nec credo, ibi fuisse solitudinem poenitentiae Jeronymo, sed in deserto quodam Syriae deguit. Ob reverentiam tamen Sancti moderni locum illum pro ejus habitatione honorant, quia in antiquis libris peregrinalibus nulla fit mentio de loco illo, nisi sub nomine Bethagla. Ascendimus autem super ambitum, et cum timore et periculo circuivimus, tremebant enim sub pedibus nostris aedificia, quasi iam ruitura. Ibi vidimus pulchras picturas de passione Christi in parietibus ecclesiae et quasdam integras cellulas monachorum. In quo notavimus, quod ante paucos annos ibi fuit Conventus religiosorum. Quidam volunt, quod hoc monasterium tempore beati Jeronymi aedificatum fuerit et semper inhabitatum usque ad nostra infelicia tempora. Suo autem tempore, antequam ascenderet in Bethlehem, ibi Conventum religiosorum habuit, et miraculum de leone non in Bethlehem, sed hic factum fuisse asserunt. Hic est locus ille, in quo divus Jerome multa se sustinuisse describit in epistola ad Eustochium. Quotiens, inquit, in illo eremo constitutus et in illa vasta

11*

